

L.V. 298

AD
AUSPICIA NOVORUM DOCENDI
OFFICIORUM

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

ADEUNDORUM,

QUAE

PRIDIE KALENDAS APRILES CIOIOCCCXLV

IN GYMNASII AEDIBUS

HORA ANTEMERIDIANA OCTAVA AUDITA

PERAGENTUR,

OBSERVANTISSIME INVITAT

FRIDERICUS LINDEMANNUS.



L. V. 298.

AD

**AUSPICIA NOVORUM DOCENDI
OFFICIORUM**

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

ADEUNDORUM,

QUAE

PRIDIE KALENDAS APRILES CIOIOCCCXLV

IN GYMNASII AEDIBUS

HORA ANTEMERIDIANA OCTAVA AUDITA

PERAGENTUR,

OBSERVANTISSIME INVITAT

FRIDERICUS LINDEMANNUS.

Inest memoria Ernesti Friderici Haupti olim Consulis Zittaviensis. Accedit tabula lapide exscripta, manum defuncti repraesentans.

ZITTAVIAE CIOIOCCCXLV.

EX OFFICINA SEYFERTI.

AD
AUSPICIA NOVORUM DOCTORUM
OFFICIIUM
IN GYMNASIO NITAVIENSI
Naenia Schilleri.

Pulchra quoque intereunt. Quae mortalesque deosque,
Non vincunt Stygii ferrea corda Iovis.
Motus amore semel tantum dominator Averni,
Ipsis in foribus dona reposcit atrox.
Non Venus in puero vulnus sanavit amico,
Quod saevus nitido corpore fecit aper.
Non clarum heroem salvom fert diva genitrix,
Ad portas Scaeas quom sua fata replet.
Ast ponto egreditur Nereidibus comitata,
Indulgens gemitu de sobole exanimi.
Ergo collacrumant omnes divique deaeque,
Pulchra quod intereant, magnaue cuncta cadant.
Felix, qui moritur caris lacrumatus amicis;
Sordida namque Orcum nemine flente petunt.

Memoria Ernesti Friderici Haupti

I. D. Consulis Zittaviensis

Kalendis Maiis anno CIOI^oCCCXLIII

pie defuncti.

*Virtutes iisdem temporibus optime aestimantur,
quibus facillime gignuntur. Tacit.*

Si omnino difficile est de homine egregio et multis nominibus bene demerito post mortem eius dicere laudesque digna rebus oratione persequi; difficilius hoc etiam esse videtur, quando eundem multi adhuc vivunt qui cognitum habuerunt et vivum agentemque conspexerunt. Nemo enim est tam ab omni cum defuncto necessitudine alienus, nemo tam omni de mortuo iudicandi facultate destitutus, qui se non de eo, quem modo oculis aliquando conspexerit, iudicium ferre posse existimet, quique se non satis idoneum arbitretur ad virum praesertim vita excellentem atque in civitatis luce positum, recte iudicandum. Sunt etiam haud raro, qui eiusmodi virum per vitam propius attigerint, ita ut revera de defuncto melius multo dicere possint, si velint, quam qui dicere instituit, quare idem vel paucis vel nemini satisfaciet. Quod ipsum mihi accidere intelligo, quando de *Ernesto Friderico Haupto*, olim consule civitatis Zittaviensis, nuper defuncto, dicere suscepi. Non enim pauci sunt, qui illum in flore aetatis adhuc constitutum viderunt, multi vero, qui eidem et muneris et sanguinis necessitudine fuerunt coniuncti; quorum omnium non nemo est, qui me et iudicare rectius et dicere melius de defuncto possit. At enim vero multa sunt, quae me invitent, ut hanc provinciam ne detrectem; multa sunt, quae me enixe hortentur, ut faciam, quae alii facere adhuc detrectarunt; multa, quae me vel invitum cogant, ut in hac nostra Musarum sede Manibus eius viri inferias facere ne negligam, qui Musarum sacerdos fuit per totam vitam, licet aliis negotiis distractissu-

mam, qui litteris bonisque artibus ad extremum vitae halitum fuit deditissimus. Neque enim illaudatum a nobis abire recte sinamus, qui et puer iuvenisque huius Gymnasii discipulis adscriptus fuit ingenio et industria insignis, et vir factus curam huius ludi litterarii gessit indefessam nobisque in hunc usque diem faustam ac salutarem. Neque satis decorum esse videtur, virum, qui per integra sex lustra terrae dicioni quinquaginta et amplius millibus incolarum habitatae¹ praefuit eamque dynastae instar rexit, qui per totum illud temporis spacium multis ex magna ista multitudine summorum auctor exstitit beneficiorum ac multorum sortes miscuit, talem, inquam virum inornatum silere² propterea, quod ab illo dignitatis fastigio deiectus vitam rebus gestis claram per otium non quidem ignobile, sed vulgi hominibus incognitum ad finem perduxit. Quid quod dolor etiam iusta nobis existumabitur caussa, cur non indictum esse sinamus virum iniquitatem fatorum prae ceteris expertum; qui dolor cum propter mortem viri incomparabilis etsi non praematuram, tamen luctuosam, tum propter obnubilatum, ut nobis quidem procul adstantibus videbatur, vitae exitum ac tristem, pectora nostra pertentavit et nunc etiam pertentat. Quae omnia satis, credo, me excusabunt, quod ego, qui me omnium minime sentiam idoneum ad laudes viri egregii dicendas, tamen ad memoriam eius tradendam accessi. Quare spero fore, ut mihi venia detur, si minus pro re diligenter, minus pro personae dignitate graviter, minus pro multorum cum mortuo necessitudine amanter atque humaniter dixerō.

Ernestus Fridericus Haupt (Latine *Capitonem* dixeris³) natus est A. D. XXI. mensis Maii anno salutis CIOCCCLXXIV. patre

1. Ager civitatis Zittaviensis tantae est amplitudinis, ut LV. millia habeat incolarum, connumeratis urbis ipsius civibus, quorum tamen numerus octo millia non multum superat. Inque agro illo sunt aliquot pagi, quorum incolae numerum civium ipsius urbis paene excedunt. — Sunt aliquot principatus in Germania, quae longe minus habent incolarum, quam ager Zittaviensis.

2. Ductum hoc est ex illo Horatii Carmm. lib. IV, 9, 29.

*Paulum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones.*

3. Addidi hanc Latinam interpretationem exterarum gentium caussa, ad quas haec memoria deveniet. Fuit hoc cognomen Romanorum in gente Maria, item in gente Sestia. Fuit etiam *L. Ateius Capito*, Ictus, scriptor vetus, qui saepe a Macrobio, Plinio, Nonio, Gellio excitatur.

usus *Ernesto Segimundo Haupt*, qui cum esset extrema egestate, industria tamen et multa opera ad magnam opulentiam pervenit. Matrem e gente *Graezia* oriundam puer trimulus morte amisit, quare factum est, ut maternam mansuetudinem et caritatem desiderans adolesceret. Fratrem habuit unum natu maiorem, qui postea patris mercimonium recepit, quem, quam diu vixit, singulari pietate et caritate est amplexus. Sorores ei fuerunt tres, quarum una non germana, quippe ex priore patris matrimonio. Hos quinque liberos magna cura educavit mulier vidua quaedam nomine *Roesleria*, quam pater ex monte *Hercynio* domum suam ad hunc finem acciverat, matrona vegeti animi ac fortis; quae res *Ernesto Friderico* non sine magno fuit emolumento. Magistri fuerunt domestici, quorum institutioni iam ab exeunte anno aetatis quarto traditus est. Horum magistrorum prior, nomine *Flether*, homo pius ac probus, postea rector scholae *Seidenbergensis* in superiore *Lusatia* factus, ad summum senectutem vixit. Alter fuit homo levis, qui improba et immansueta duritie puerum tractare solitus, memoriae tantum facultatem in eo excolere studuit, quam insignem a faultrice natura nactus erat puer. Ceterum pueriles annos faustos habuit et iucundos, quos hilariter et commode in sinu paternae domus atque ad simplicem, quae illo tempore fuit, et antiquam vitae domesticae rationem transegit. Paedagogo dimisso puer privatas adiit scholas *Muelleri*, *Gymnasii* huius *Conrectoris*, qui erat egregius illo tempore iuventutis magister, cuius memoriam discipulus ad extremum vitae tempus caram habuit ac saepe pie recoluit. Exacto aetatis anno quinto decimo in huius *Gymnasii* disciplinam receptus⁴, atque, ut ferebant illo tempore instituta *Gymnasii* nostri, statim primi ordinis civibus adscriptus scholas magistrorum audivit per biennium, Rectore *Sinteni*, qui praeter alias virtutes eloquentiae maxime laude florebat, qua animos discentium arrectos tenere adeoque imbuere sciebat. Nondum annos natus septendecim *Gymnasii* limites transgressus patriam urbem reliquit atque in *Academiam Lipsiensem* ad altiora litterarum studia capessenda se contulit.

Ibi si suum ipsius solum sequi potuisset animi prolubium, theologiae studio sese dedisset, quando statio parochi rusticani, hoc est,

4. In *Gymnasii* nostri tabulis his verbis inscriptum est nomen eius:

Ernst Friedrich Haupt, aus Zittau, alt 15 Jahr, Tit. deb. Herrn Ernst Sigismund Haupt, weilberühmten Kauf- und Handelsherrn allhier, iüngster Sohn. Class. I.

munus sacrum praedicatoris evangelici inter rusticos, maximam ipsi vitae iucunditatem allatura atque ingenio accommodatissima esse videbatur. Verum cum aliis rationibus permotus, tum patris praecipue votis obsecutus, ad iuris prudentiam sese applicuit atque ita pro vita tranquilla ac sacris operandis dicata strepitum fori vitamque publicis negotiis diffusam est amplexus. Lipsiae praestantes haud ita multos invenit litterarum doctores. In iuris disciplina *Hauboldus*, postea *ICTus* clarissimus, docere iuvenis admodum coeperat. In litteris humanioribus, *Reizio* iam defuncto, nemo tum excellebat; Augustus *Vilelmus Ernestius* nullam habuisse fertur nec docendi dexteritatem nec litterarum magnam scientiam; quod *Haupto* tanto magis incommodum, quanto minus nec per Academiae curriculum neque ullo unquam vitae tempore litteras Latinas tractare et Romanorum scriptores legere neglexit.

Illo autem tempore omnium hominum cordatorum studia in philosophiam Kantianam erant convorsa, cui *Hauptus* quoque Lipsiae dum versatur, operam dedit praestabilem, in qua *Heidenreichum* et *Platnerum* doctores audivit, quorum ille et poeta fuit haud contemnendus et philosophus inter Kantianos inclutus; *Platnerus* vero, quamquam non inter principes philosophorum numerandus, tamen cum doctrinae ubertate tum amoenitate ingenii et sermonis elegantia omnes facile superabat ac iuvenes litterarum studiosos ad se trahebat. Hos igitur magistros ac praemonstratores multa assiduitate celebrabat *Hauptus*, quare credibile est, excellentis eum doctrinae compotem sese reddidisse.

Postquam per integrum quadriennium in Academia Lipsiensi litteris studuit, patrem exoravit, ut Gottingensem litterarum universitatem adire sibi liceret. Ibi illo tempore, quemadmodum paene ex omni post constitutam illam aetate, viri doctissimi et clarissimi docebant, qui imprimis in iuris publici atque Germanici disciplina, item in disciplinis historicis ingens nomen adepti magnam nobilissimorum iuvenum Germanorum turbam convocabant atque ad se audiendos invitabant; quorum professorum nomina omnibus hominibus litteratis cognita sunt ac celebrata atque in omne tempus celebrabuntur. Quotus enim quisque est homo vel leviter litteris imbutus, cui sint inaudita nomina *Puetteri*, *Gattereri*, *Spittleri*, ante omnes autem *Schloezeri*,

in litteris antiquis *Heynii*? Quorum virorum doctrina usus est Hauptus per integrum annum, per quod temporis spacium historiae inprimis dedit operam, quo transacto ad studia iuris rediit, ut in privatae domus umbra per otium ad honores litterarios capessendos sese pararet. Anno aetatis tertio et vicesimo summos in iurisprudencia honores ambiit, qua de caussa scripsit commentationem ad legem Iuliam de poena adulterii, quae dissertatio cum propter rerum antiquarum iuris-que Romani cognitionem, tum propter Latini sermonis elegantiam hodie quoque praeclarissimis in hoc genere scriptis adnumeratur atque in libris Ictorum magna cum laude excitatur. Quibus honoribus quum esset ornatus, non defuerunt, qui hortarentur, ut vitam litterarum universitati dicaret atque in cathedra publica docendi muneri se applicaret. Neque defuerunt similes invitationes postea, quum iam in patriam urbem esset revorsus, in quibus commemoranda est evocatio, qua ei locus in collegio *Scabinorum Lipsiensium* est oblatus; quas omnes recusavit constanter, patriae civitatis amore permotus, ut Zittaviae suae et vitam et operam ad extremum spiritum consecraret.

In hanc patriam urbem rediit anno CIOCCCXCVIII, quum annum ageret aetatis quartum et vicesimum. Proximo anno iniit matrimonium duxitque *Eleonoram Lachmanni*, pastoris illo tempore primarii in dioecesi Zittaviensi filiam; quod matrimonium mutua caritate iunctum, faustum fuit Haupto ac fortunatum, mascula prole una beatum, quodque marito non uxorem, sed vitae sociam cordatam et factorum consortem humanissimam praebuit, quae summa cura maritum complexa, quemadmodum totius vitae, ita senectutis extremae pia fuit ac suavis consolatrix. Biennio post in amplissimum ordinem senatorium receptus, quartum inter senatores locum habuit, cui loco coniuncta erant officia quaedam secundaria, nec tamen minus gravia, veluti *delegati ad pias causas, curatoris scholarum popularium*, quibus accessit cura pagi *Gross-Schoenau*⁵ nominati et textrinae linteae famigeratissimae, quae in illo pago ab incolis factitata floret.

Ab hoc tempore secuta est vitae eius pars actuosissima et gravium pariter atque difficilium negotiorum plenissima. Anno enim in-

5. De pago *Gross-Schoenau* eiusque nobilissima textrina lintea (Damastfabrik), per orbem terrarum incluta, cf. *Richter*, Geschichtliche Darstellung der Damastmanufactur-Orte Gross- und Neu-Schoenau. Leipzig, Klinkhardt. 1837. *Pescheck*, Handbuch der Geschichte von Zittau, pag. 252. *Lausitzer Magazin*, Jahrgang 1832. pag. 14 seqq.

secuto postridie Kalendas Martias cognitores regii, ad hanc rem delegati, quaestiones de administratione civitatis Zittaviensis habere coeperunt. His Hauptus sese adiunxit ita, ut consilia eorum, quae civitati salutaria essent, sua faceret, unde factum, ut ipse esset in numero eorum, quos regii cognitores cum ad commercium epistolarum, tum ad consilia exsequenda eligerent. In quo negotio praecipuum auxilium praestitit in his rebus ordinandis, quibus iam antea praefectus erat, in scholis popularibus emendandis, in delegatione ad pias causas melius instituenda, in ordinanda disciplina textrinae publica pagi Gross-Schoenau.⁶

Anno huius saeculi quarto A. D. XXI. m. Septembris Haupto demandatum est munus Syndici huius civitatis, quod munus per se grave et negotiorum mole olim obrutum, nunc antiquatum, illo tempore accessionem cepit eo, quod aliquot negotia ei tum sunt adiuncta, quae antea ab eo segregata fuerant, veluti praesidium collegii examinandis rationariis publicis constituti, et praesidium collegii matrimonialis⁷; quibus accessit etiam ut crearetur scholarcha secundus, quare factum est, ut cura Gymnasii nostri ad eum pertineret.⁸ Et quum anno huius saeculi octavo viri delegarentur ex ordine senatorio, qui universam rem huius civitatis scholasticam emendarent⁹; inter eos fuit Hauptus, qui praeside Consule Behrnanero et assidentibus delegatis aliis in eo vehementer et multa opera elaboravit, ut schola civica et praeter eam schola egenorum puerorum institueretur, ambae vero eandem formam acciperent, quam hodie quoque maximam partem servant. Eiusdem quoque opera factum est, ut *Krugius*, nomen illo tempore inter paedagogos clarum, huius urbis toti rei scholasticae populari praeficeretur.¹⁰

6. Quam in hoc maxime negotio, quod ad textrinam illam artificiosam attinet, operam praestiterit Hauptus, paucis verbis tetigit *Richter* in libro supra iam citato: *Geschichtliche Darstellung der Damastmanufactur-Orte Gross- und Neu-Schoenau* p. 290.

7. Quum post emendata sacra ordo equitum Ioannitarum, qui commendaturam Zittaviensem possidebat, urbe ac terra excederet, iura sua, agros, aedes civitati Zittaviensi vendidit, a quo tempore iura consistorialia, quae dicuntur, in quibus iurisdictio circa matrimonia, Senatui Zittaviensi competebant, et nunc quoque competunt, sed ad praetorem urbanum pertinent.

8. Illo tempore ex vetere instituto Scholarum cura tribus Scholarchis tradita erat, quorum unus erat alter e Consulibus, secundus e Senatoribus, tertius antistes sacrorum primarius.

9. Praeter Gymnasium Zittaviae illo tempore scholae nullae, nisi privatae, quae ab angulo, in quo delitescabant, nomen male ominatum acceperant.

10. Is postquam multiplici ratione bene meritus est de re scholastica Zittaviensi, Dresdam abiit, ubi scholae Augustae, recens conditae, praeesset. Ibi aliquamdiu versatus nullo successu gavisus scholam vidit non sine animi dolore solutam. Quo facto munere se abdicavit atque in secreto otio mortuus est.

Medio anno huius saeculi decimo novum collegium scholis curandis in urbe institutum est, cuius praesidium gessit Hauptus usque ad eiusdem anni exitum, quod ipsum munus sub auspiciis anni novi tradidit successori suo *Bergmanno*, novo syndico, nunc praetori nostro clarissimo; ipse vero post Behrnaueri discessum Consul factus est, a quo tempore pars eius vitae incipit non quidem actuosissima, sed aerumnosissima, ipsi vero etiam calamitosa futura. Secutae enim sunt belli exitiosi turbae tristissimae, per quas moles negotiorum gravissimorum exanclanda, noctes pervigilandae, integri menses veluti in procinctu peragendi, labores perpetui sine ulla et corporis et animi requie sustinendi erant. Illa tempestate vires eius sunt attritae et valetudo eius, antea satis firma, sic est debilitata, ut in omne reliquom vitae tempus aeger esset et viribus fractus.

Sed inter istos belli strepitus civitatis administrationem summa cura gerere nunquam cessavit; nam bello ipso grassante neque minus ut ante sic post bellum, et Syndici et Consulis munere fungens, summo studio eo al- laboravit, ut ratio legitima et legis observatio in omnibus civilis administra- tionis partibus introduceretur et coleretur, severus normarum praescripta- rum exactor, quas ipse multis publicae rei partibus praestituit. Praecipue vero his negotiis suam dicavit industriam. Primum sarta tecta curanda quemadmodum essent provisum universaeque aedificationis publicae¹² ra- tio ab eo praescripta atque ordinata, cui rei coniuncta erat praescriptio to- tius oeconomiae¹¹, quae dicitur, in urbe publicae, quam praescriptionem ipse elaboravit et scripto consignavit. Deinde cura egenorum quemadmo- dum esset gerenda praecepit, quae, hodiernis temporibus ubique gravissima pars civilis administrationis, sic est ab eo ordinata atque composita, quem- admodum hodie quoque in civitate Zittaviensi habetur atque observatur, cui rei adiuncta fuit cura securitatis publicae, quam ita constituit, quemadmo- dum nunc etiam maximam partem constat. Post haec, haud dixerim propter haec¹³, ornatus est insignibus equestribus ordinis de civitatis

11. Aedes publicae sartorumque tectorum curatio multam pecuniae vim in civitate Zittaviensi quotannis requirunt, ac, nisi fallor, circiter quindecim millia imperialium et amplius ei rei quotannis insumuntur. Ex qua re quantum sit illud negotium, facile intelligitur.

12. Oeconomia civitatis Zittaviensis publica has res complectitur. Primum omnia, quae ad vecturam et stabulum publicum spectant, in quibus maxime pratorum publico- rum curatio et res pecuaria. Tum omnia quae ad curam aquarum publicarum atque aquaeductuum pertinent. Deinde salis provisio publica eiusque divenditio. Porro luminum nocturnorum incensio. Adde provisionem annonariam et horrei publici curam, postremo lignorum ceteraeque ad calefactandum materiae ex silvis ac fodinis publicis procurationem.

13. Doleo dubitandum mihi esse, qua de causa Hauptus insignia illa acceperit. Ipsum dubitanter de ea re loqui commemini.

salute bene meritorum a Rege Augustissimo, ad quem nomen eius perlatum erat.

Praeterea alia multa in civitatis Zittaviensis administratione illo tempore sunt instituta, quae a cognitoribus regiis imperata, ab aliis Senatoribus praeparata, Haupto vero duce ac praemonstratore confecta atque introducta sunt. Huc pertinet primum agrorum et fundorum publicorum, aliarumque civitatis possessionum divenditio, quae ita plerumque facta est, ut praeter pecuniae sortem, qua venditus fundus, etiam emptori ac novo colono annuae pensiones imponerentur, quae redditus aequarent fundorum pristinos. Unde confecta est grandis pecuniae summa, quae a cetero civitatis aerario separatim in foenore posita nunc quoque custoditur. Commemoranda quoque est nocturnorum luminum per urbis plateas procuratio¹⁴, cuius regulae ab Haupto ipso dispositae ac scripto mandatae sunt. Deinde indices reddituum confieri iussit parochiarum ecclesiae cum urbanarum tum rusticanasum, quae vulgo matriculae dicuntur, quos quanquam non ipse confecit, at ductu tamen suo et approbatu confectos ac sancitos introduxit. Nec tacenda est tributorum norma regionum, quam curavit ita, ut simul controversiae quae de tributis solvendis recteque dispertiendis inter urbem et pagos agerentur, compositae ad finem perducerentur, in quo negotio iam, quum Syndicus adhuc esset, multum operae insumpsit. Denique laudanda est emptio et inter colonos dispertitio fundi Novi Hoernitii, cui si accessisset novissimo tempore Hoernitium vetus¹⁵, profecto haud male actum esse iudicaretur de aerario publico civitatis Zittaviensis.

Gymnasio nostro Consulatus eius salutaris fuit multiplici ratione. Nam quum cognitores illi regii, de quibus supra dixi, in constituenda schola civica hoc habuissent consilii, ut superiores illius ordines elementa litterarum humaniorum perciperent; Gymnasio nostro duos inferiores ordines, qui nunc saepe nomine progymnasii comprehenduntur, subtrahendos esse existumaverant, quare factum est, ut hic noster ludus litterarius mutilaretur et fundamento suo privaretur. Quod perniciosum consilium quum praecepire illo tempore in Haupti potestate non esset, fortasse ne satis quidem perspectum; peccatum commissum postea emendavit, ac me ipso itendidem

14. Meuseli, mercatoris locupletissimi legato ad eam rem per testamentum facto cautum est, ut urbs illud nocturnorum luminum per plateas dispositorum beneficium acceperit.

15. Quum enim nuper fundus ille amoenissimus et foecundissimus, qui medius agrum Zittaviensem interrumpit alienamque infert possessionem, venum daretur, factum est levibus quibusdam, ut videtur, de caussis, ut emptio a civitate Zittaviensi detrectaretur, quae sine dubio magno lucro futura esset.

hortante atque instigante rem eo deduxit, ut duae classes inferiores Gymnasio redintegrarentur ac magistri earum recens constituti salariis instruerentur.

Adiuncta erat huic correctioni chori musici in Gymnasio nostro nova constitutio, qua omnis, quae olim in usu erat, discipulorum cantilenas cantantium per urbem discursitatio sublata est, et chorales fixo donati sunt stipendio, symphoniae quoque quotannis duae sunt institutae, quarum reditus, subtractis expensis, choralibus, in locum stipis olim collectae, persolvuntur. Quod salutare institutum alia oppida patriae nostrae postero tempore sunt imitata, ipsaque Lipsia, sed longe serius, secuta est.

Permultae praeterea sunt res eius auspiciis in Gymnasio nostro constitutae melius atque emendatae, quas emendationes ille, quemadmodum statim commemoratas, si non solus, at magna ex parte suo consilio, sua opera suoque nisu provocavit. Quas ut hoc loco commemorare longum est, ita potius in historia Gymnasii nostri describi atque enarrari oportebit.

Igitur postquam Consul carissimae sibi patriae civitati diu praestitit curam salutarem strenuamque operam, quippe per viginti annos Consul, per triginta omnino magistratibus functus; venit annus ille huius saeculi secundus et tricesimus, multis in Europa imperiis fatalis, civitati nostrae fortasse fructuosus, Haupto vero calamitosus, amicis eius ac familiaribus luctuosus. Nondum ad senectutem progressus, vigente adhuc corpore et animo valente, nondum emeritis stipendiis, de statione est deiectus et ad vitam privatam sine ulla sua culpa condemnatus. Nova urbium et municipiorum per Saxoniam constitutione facta omnium magistratuum urbicorum creatio ad plebis favorem devoluta est. Quae res si sic esset instituta, ut novi tantum magistratus a populo eligerentur in posterum, veteres autem in officio manerent; rem nemo esset qui conquereretur. Verum veteres magistratus uno ictu, indicta causa omnes munere exuere, id quidem ad illud usque tempus in Germania inauditum, acerbius etiam fiebat eo quod depulsorum revocatio multitudinis favori est relicta. Ea res effecit, ut Hauptus, qui nunquam popularem auram captaverat atque adeo, ut quidam insimulabant, nonnunquam imperiosum se gesserat, consulatu depelleretur eique Praetoris urbani provincia offerretur, quam recusavit ultro delatam, vitam praeferens privatam, quam ad mortem usque perduxit.

Hanc subitam fortunae mutationem quum non exspectavisset, tolerandae calamitati corpus laboribus iam antea debilitatum non par fuit, qua de causa in morbum incidit, a quo tempore per reliquam vitae spacium adversae valetudini conflictatus undecim quidem annos adhuc vixit, sed multum mutatus ab illo qui ante fuit.¹⁶ Quam fati vicissitudinem fuerunt, quibus non satis aequo animo, ut sapientem deceret, ferre videretur. Viderant virum incomparabilem secundam pulcherrime ferre fortunam magnamque laudem adipisci; dolebant magno opere, adversam ab eo haud pariter ferri, ut ex omnibus animi virtutibus haec una ei deesse putaretur; utrum vere iudicaverint, non possum dicere. Hoc possum, habuisse excusationem. Existimabat enim omnes sese et industriae suae fructus et fortunae perdidisse. Aegrotabat praeterea, licet corpus adhuc vegetum videretur, quae aegrotatio animum quoque debilitabat; satisque est compertum, quanta sit corporis de animo potestas in hac terrestri mortalium condicione. Ceterum non est dubium, vitam meritis insignem ab ingrata patria proditam laetiore exitu fuisse dignam.

Sed Hauptus otium quanquam non voluntarium nactus usus est illo sic ut virum litteratum ac sapientem decet. Nam postquam paullum convaluit; quod reliquam erat temporis et virium animi ad litteras convertit et sibi ac Musis vixit. Ad hoc haud exiguo solatio erant uxor egregia et iam tum optumae spei filius. Cuius auxilio usus absolvit primum editionem Joannis Gubinensis, iam diu a se tentatam atque praeparatam. Is Ioannes Gubinensis scriba fuit olim huius civitatis publicus, qui memoriam rerum suo tempore gestarum sua manu conscripsit, quem secuti sunt alii idem consilium secuti, ex quo confectus est liber manu exaratus, partim Latine partim Teutonice scriptus, qui ad praestantissima *κειμήλια* bibliothecae huius civitatis publicae adnumeratur et multa continet, quae ad historiam illorum temporum illustrandam faciunt. In quo libro edendo multa ac diuturna fuit opera Ernesti Friderici Haupti, quae eo maxime cernitur, quod non scripturam tantum difficilem et saepe mendosam ad legendum reddidit facilem, sed res etiam enucleavit ac nomina et verba obsoleta explicuit. Editionem magna cura et diligentia paratam commendamus omnibus, quicumque memoriam rerum in Germania gestarum, morum apud

16. Virg. Aen. II, 274.

*Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli.*

Germanos pristinorum, in primisque veterum oppidorum res et instituta perscrutari solent.¹⁷

Secuta est vitarum enarratio Nicolai a Dornspach, fratrum Nesenorum et Procopii Nasonis, virorum tam de universa re litteraria quam de civitate Zittaviensi olim bene meritorum; qui liber et antiqua sermonis simplicitate et rerum diligenti exploratione et monumentorum fideli descriptione excellit.¹⁸ Continet hic quoque liber permulta, quae ad historiam litterariam faciunt, quaeque ad urbium Germanicarum vetera instituta cognoscenda, maxime vero ad memoriam emendationis sacrorum a Luthero coeptam spectant, quando viri, quorum vitas Hauptus conscripsit, cum Luthero, Melanchtone, Camerario, Eobano Hesso, aliisque illo tempore claris, familiariter vixerunt et litterarum commercium habuerunt.

Scrispsit deinde vitam *Zobeli*¹⁹, Syndici olim Gorlitiensis et Consulii honorarii, bonarum rerum plenissimam et animi caritate atque gratia in defunctum insignem. Egit porro censuram libelli scholastici a Rueckerto, Conrectore nostro, theologiae doctore, viro clarissimo, editi de chemiae institutione in scholas eruditorum sive Gymnasia introduccuda, in qua censura multa multis egregie dixisse est visus de abusu rerum nimium multarum in scholis illis docendarum; qua re illa inter homines doctos multam laudem est adeptam; quanquam censorem in re summa erravisse non est dubium.²⁰ Confecit etiam carminum aliquot Goethii atque aliquot hymnorum sacrorum conversiones in Latinum sermonem, quarum illa²¹ filius eius clarissimus, professor Lipsiensis, fecit publici iuris, has pater ipse edidit, adiectis aliquot carminibus Teutonicis, quae simul Latine reddidit.²²

17. Titulus libri huiusmodi est:

Jahrbücher des Zittauischen Stadtschreibers Johannes von Guben und einiger seiner Amtsnachfolger. Herausgegeben von Ernst Friedrich Haupt.

Incipit ab hoc libro nova collectio monumentorum historiae Lusaticae, quae sic inscribitur:

Scriptores rerum Lusaticarum. Sammlung Ober- und Niederlausitzischer Geschichtschreiber. Herausgegeben von der Oberlausitzischen Gesellschaft der Wissenschaften. Erster Band. Johann von Guben. Bereith von Geuterbog. Görlitz 1837. Im Selbstverlage der Gesellschaft.

18. Inscriptio libri est:

Wilhelm und Konrad, Brüder Nesen, Nicolaus von Dornspach und M. Procopius Naso. Von Ernst Friedrich Haupt, Dr. Ritter des königl. sächs. Civilverdienst-Ordens. Zittau, in Commission der Schöpsischen Buchhandlung. 1843.

19. Expressa est illa in ephemeridibus, quibus index est: Neues Lausitzer Magazin.

20. Censura illa inserta est ephemeridibus statim indicatis. Neues Lausitzer Magazin. Bd. XIX. Fascic. 6.

21. Index libelli est: *Carmina X. Goethii Latine reddidit Ernestus Fridericus Haupt. J. U. D. Lipsiae. CIOCCCCXLI.*

22. Huius libelli index est: *Hymni sacri poetarum aliquot Germanicorum in Latinam*

Scriptores Latinos legisse ac Latine scripsisse, cuius sermonis et scribendi et loquendi praeclaram consecutus est facultatem, ad ultimum vitae tempus dicitur. Ita litterae senectutem eius oblectabant, res adversas ornabant.

Statura fuit erecta quae esset paulo supra mediam; corpore robusto, quod annis virilibus ad obesitatem vergere videretur, quae res postea est mutata. Faciem habuit grandem, oris lineamenta mascula, ut Lutheri imaginem repraesentare nonnullis videretur, quemadmodum in protoma eius quae in andreone novae Curiae reposita est, cernere licet; quae protoma multum refert similitudinis, nisi quod nasus paulo videtur longior, quam in vivo fuit. Volto fuit severo, oculis coeruleis, sed lucidis et nonnunquam fulgurantibus. Animo fuit manfesto ac leni, raro ad iracundiam pronus, sed alacri tamen studio in rebus agendis, ut homines de vulgo dictarent, se ex ipsa urbis facie posse colligere, quando Consul Hauptus gubernaculum civitatis gereret; duo enim Consulas illo tempore erant, qui alternis annis civitatem regebant. Pietas in eo fuit insignis, non anilis illa, quam hodie multis placere videmus, sed quae philosophum deceret; fuitque litterarum sacrarum et lectioni et doctrinae addictissimus, id quod carmina eius hymnis sacris adiecta satis comprobant. Ad hoc caritas eius in alios vere fuit Christiana, solebatque quaerentibus, cur aedem S. Joannis²³ restitui non curaret, respondere, civitatem nostram non egere aedibus sacris, quas haberet multas, sed aedibus aegrotorum pauperum curationi destinatis h. e. nosocomiis, quas nulla unquam civitas satis bonas ac multas habere posset. Ceterum nosocomiis aedificandis ita prospexit, ut hodie vix ulla urbs Saxoniae tales ac tot numero possideat.

Sic erat vita viri praestantissimi ac de civitate nostra multis nominibus egregie promeriti, quoad ego quidem illam enarrare potui. Exspiravit post diuturnam infirmitatem Calendis Maiis anni CIOIOCCCXLIII; elatus est post diem quintum magna hominum frequentia, qui funus eius summis honoribus ac piis paecaminibus sunt prosecuti, non sive communi quadam ante factae iniuriae contestatione.

linguam transtulit Ernestus Fridericus Haupt, Jur. utr. Dr. ord. Sax. virt. civ. Eques. Lipsiae CIOIOCCCXLII.

23. Haec aedes sacra, urbis Zittaviae primaria, belli septuennis tempore, quum urbs non ab hostibus, sed ab amicis et sociis, praesentibus in hostium castris ac testibus nostrae stirpis regnatricis filiis, crudelem in modum ac propter futes causas, devastaretur, plane est evorsa atque in parietinas dilapsa. Quae quum paulo post restitui esset coepta, murus frontis anterioris rimas agere turriumque altera, meridiem versus posita, a perpendiculari proclinare coepit. Quae res prohibuit, quo minus exaedificaretur; quare diu quod erat aedificatum, ruinam minabatur. Nunc aedes refecta inter ornamenta oppidi nostri merito numeratur.

Veniundum iam est ad ea, quorum caussa superiora a nobis sunt evulgata, quibusque via optime praesterni posse videbatur vita viri enarranda, qui multis pro exemplo, omnibus pro speculo vitae et negotiosae et litteratae recte gerundae proponi posset. Indicenda sunt iussu Senatus Amplissimi novorum docendi officiorum in Gymnasio nostro adeundorum solennia, a quibus novam nobis aetatem, novum temporum et rerum gerundarum ordinem praesagiri licet. Nam postquam, qui fuit Collega noster doctissimus clarissimus, Leopoldus Immanuel RUECKERT, Theologiae Doctor, nostrique Gymnasii Conrector, Ienam abiit, ad theologiam in Academia illa docendam evocatus; ex decreto Senatus Amplissimi frater eius, Henricus Mauritius RUECKERT, hucusque Subrector, in locum vacuefactum evectus, Conrectoris provinciam accepit. In huius locum successit, qui hucusque sextum Collegarum locum obtinuit, Henricus Julius KAEMMEL, Subrector factus, in cuius locum suffectus est, qui ad hoc tempus fuit Collega adiunctus, Carolus Fridericus Ferdinandus LACHMANNUS, Collega sextus creatus. His accedit Vilelmus JAHN, recens in Collegium nostrum cooptatus, Collega septimus decreto Senatus factus, cui simul mathesis docendae officium ab ordine Amplissimo est iniunctum.

Ex his post me, qui iussu Senatus Amplissimi collegis meis nova munera brevi oratione sum traditurus, prodeuntes cathedram adscendent orationesque aditiales habebunt:

Henricus Julius KAEMMEL, qui Latino sermone de Novi Testamenti in Gymnasiis interpretatione exponet; tum

Carolus Fridericus Ferdinandus LACHMANNUS Teutonico sermone necessaria ad rem dicet discipulosque commonefaciet.

Ad haec solennia una nobiscum celebranda orationesque audiendas iussu Senatus Amplissimi et Collegarum meorum nomine omnes, qui salutem iuventutis optimis artibus deditae curant, quibusque antiquarum litterarum studia Musaeque mansuetiores cordi sunt, humanissime volo invitatos, eosdemque nobis pridie Kalendas Apriles in aedibus Gymnasii ad locum consuetum, hora antemeridiana octava audita, frequentes omni, qua par est, observantia adesse iubeo. Scripsi in Gymnasio Zittaviensi A. D. V. Kalend. Apr. CIOICCCXLV.

Fridericus Lindemannus.

Es gibt ein Glück! - wir können fassen,
Es künnt und blüht aus unserm Pflicht Gaben!
Und wenn des Lebens Luthen blasen,
Es lauchts noch in sanften Abendroth,
Und leitet, unbeküht vom Forderer
Den Wanderer von zum unbekanten Lande!

Manus Ernesti Friderici Haupti.

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006259 3

